

I. Sunt externi ritus, tum in pane, tum in poculo a Christo v-  
surpati, & nobis ad obseruandum præscripti.

II. Sunt verba promissionis, declarantia nobis, ad quid ritus  
illi externi, & Ceremoniæ, imo totus ille cultus a Christo sit in-  
stitutus, videlicet vt actione illa adumbretur, & obfignetur no-  
bis corpus Christi pro nobis in mortem traditum, & sanguinem  
eius pro nobis effusum esse, in remissionem peccatorum. Et hæc  
verborum prælectorum prima pars est.

In Secunda I. a proprio testimonio, seu iuramento suo, instā-  
 tem sui proditionem Christus confirmat, simulq; proditorem,  
 sed a longinquo tãgit. 2. Vt a flagitioso illo crimine, si fieri pos-  
sit, deterreat eum, grauissimas pœnas, & vltionem diuinam ei  
minatur. 3. Apostolis sollicitè in proditorem inquirentibus  
propius eum ostendit, Qui mecum intingit in catinum, &c. 4. Ipsi  
Iudæ impudenter quærenti, palam edicit, quod ipse sit, reliquos  
discipulos sollicitudine liberans, Iudam verò confundens, qui  
etiam sumpta buccella statim ab Apostolis secessionem facit, &  
quod ex suggestione Satanæ secum constituerat, nefarium sce-  
lus opere perficere contendit. Ex hoc textu multæ doctrinæ  
decerpi possunt, quæ tum ad confirmationem fidei, tum ad e-  
mendationem vitæ magnum habent momentum, sed quis vna  
hora pertractare eas queat?

Videmus enim hîc I. Christum non inuitum, non coactum,  
sed spontè, & volentem pro nobis passum esse. Ratio I. Ipse iu-  
bet discipulos in ciuitatem Hierosolymam ire, & agnum ma-  
ctare, volens eos insequitur, sciebat enim quid ipsi euenturum i-  
bi esset.

2. Comedit de agno Paschali, qui ab ipso Deo typus præor-  
dinatus fuerat, passionis suæ, & quasi visibilis concio erat, de i-  
pso iam iam immolando. Nam ipse, agnus Dei portare debe-  
bat peccata mundi. Io. I. 29. Ipsius sanguine, tanquã agni immaculati  
liberari debebamus, I. Pet. I. Ipse erat Pascha nostrum pro nobis immolã-  
dum. I. Cor. 5. &c.

3. Instituit S. Cœnam, in qua I. verbis, 2. typis, & figuris o-  
stendit, se esse immolandum.